



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

8. De humanarum actionum circumstantiis in communi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

Confessione debet explicari, quippe materialiter
complens internum & perficiens.

- 7 Actus internus voluntatis efficax, si opere non
completur, quia deest operandi facultas, habet qui-
dem omnem substantialem bonitatem vel malitiam
(Nam, ut ait S. Bernard. *Voluntas pro facto reputatur, ubi
factum excludit necessitas*) sed non accidentalem, quan-
do quidem externa executione materialiter perfici-
tur; Sic voluntas Martyrij essentialiter gloriam mere-
tur, ac si consummaretur, sed non accidentalis gloriae
laureolam.

C A P. VIII.

De humanarum Actionum Circumstantiis in communi.

- 1 Circumstantiae sunt particulares humanarum a-
ctionum in genere moris accidentales conditio-
nes. Earum sunt genera: quaedam accidentaliter ta-
tum aggravantes vel minuentes, (verb. causa, Actionis
vehementia vel remissio, mora longa, aut brevis) qua-
dam vero novam speciem afferentes, ob specialem
quam gerunt habitudinem conformitatis vel diffor-
mitatis ad rationalem naturam, V. C. furari in loco
sacro.
- 2 Circumstantiae novam speciem addentes subdivi-
duntur; quaedam actioni retinenti propriam speciem
ex objecto alteram adiungunt: V. C. Si eleemosynam
des pro poenitentia, erit haec actio in duplici specie
virtutis, id est, misericordiae ac poenitentiae. Si fueris
in loco sacro, spectabit ad speciem peccati, iniustitiae
& sacrilegij. Aliae circumstantiae speciem actionis mu-
tant, V. C. si eleemosynam des ob vanam gloriam,
mutatus opus misericordiae in inanis gloriae opus: si
reddas

reddas debitum in loco sacro, mutatur opus iustitiæ
in Sacrilegium. 59.

NB. Circumstantiam V.C. loci sacri mutare actum de bono in malum, non ita intelligitur, quasi actus ante bonus fuerit & in specie virtutis; per circumstantiam vero transmutatus in speciem vitij: sed quod esset bonus & in specie virtutis, nisi pravâ illâ circumstantiâ inficeretur.

Omnis actio moralis ac libera in individuo vel bona vel mala est, & nulla indifferens. V.C. festucam humo leuare, si humano modo ac deliberatè fiat, ob finem aliquem necessarium fit, quæ relatio ad finem, si rationi conformis sit, puta si festucam tollas, vt cubiculi mundities, corporis atq; animæ munditiem tibi conciliet; bona & honesta est talis actio. Sin autem relatio ad finem rationi conformis non sit, vel quia ad finem malum refertur; sed festucam humo tollis, solum vt libertatis exercendæ appetitui satisfacias, tunc non minus otiosam (quippe sine debito destitutam) actionem exerces; quam si otiosum verbum proferas. Verbum autem otiosum peccatum est, iuxta illud Christi Matth. 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in novissimo die. Ergo à simili, actio otiosa, peccatum.

C A P. IX.

De Circumstantiis in particulari.

Septem Circumstantias numerat S. Thomas. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Circumstantia quis significat conditionem siue qualitatem personæ operantis, & actui malo saepe novam speciem addit, vt si coniugatus forni-